DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

MORBIS ADOLESCENTVM ET IVVENVM HIPPOCRATIS

QVAM
SVMMO FAVENTE ARCHIATRO
INDVLTV ATQVE AVCTORITATE
GRATIOSI ORDINIS MEDICI
IN INCLVTA ACADEMIA IVLIA
PRAESIDE

LAVRENTIO HEISTERO
MED. DOCT. ANATOM. PHYSIOL. ET CHIRVRG. PROFESSOR. PVBL. SVI ORDINIS DECANO ITEMQVE ACADEMIAE CAESAREAE REGIAEQVE BEROLINENSIS COLLEGA

PATRONI ET PROMOTORIS OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDI
PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE IMPETRANDI
IN IVLEO MAIORI
PVBLICAE DISQVISITIONI EXPONET

FRIDERICVS HENRICVS SCHRAMM,
BVTTSTADIO - THVRINGVS

D. AVGVSTI CIↃ IↃ CCXXII
HORIS CONSVETIS.

HELMSTADII
TYPIS HERM. DANIELIS HAMMII ACAD. TYPOGR.

DEO PATRIAE
PARENTI ATQVE AMICIS.

PROOEMIVM.

ETiamſi variæ hominum ætates, certas ob cauſſas, certis præ ceteris ætatibus obnoxiæ ſint morbis; nulla tamen, meo quidem iudicio, pluribus aut gravioribus expoſita eſt, quam ætas iuvenilis: non ac ſi reliquis ætatibus ſit debilior; cum potius viribus ceteras ſuperet: verum, ut recte GALENVS ait (a), *ob intemperantiam, non ob virtutis imbecillitatem*, quia hæc ætas præ omnibus ad errores in diæta atque ad exceſſus in omnibus, præſertim tamen in ita dictis rebus non naturalibus, & nominatim ad errores circa aërem, cibum & potum, motum & quietem, ſomnum & vigilias, excreta & retenta, atque animi pathemata (ad quæ venus merito referri poteſt) committendos proclivis, imo proniſſima eſt, ita, ut haud pauci iuvenes nulla ratione ab enormibus, quibus dediti ſunt exceſſibus, deduci queant; ſed potius omni conatu, omnibusque viribus contendunt, ut ſanitatem labefactent, corrumpant, & deſtruant, quaſi rem magni momenti ac magnæ utilitatis agere, imo quaſi pro aris & focis dimicare vellent: quibus ipſis vero in morbos quam plurimos, languo-

(a) in Commentario ad Hippocratis Aphor. 29. Sect. III.

res, debilitates, mortemque ipsam præmaturam sæpissime se præcipitant, ita ut multi in flore ætatis pereant, qui diutius facile, si modo temperanter, ac naturæ convenienter vixissent, vitam agere potuissent. Quapropter, licet hæc ita sint, nullum tamen adhuc novi, qui peculiari dissertatione horum morbos descripsisset: cum tamen morbi aliarum ætatum, ut infantum, puerorum atque senum iam sæpius dissertationibus academicis & specialibus tractatulis publice excussi fuerint. Hanc igitur ob caussam operæ pretium esse existimavi, loco thematis inauguralis MORBOS ADOLESCENTVM ET IVVENVM eorumque caussas, signa atque optimam, quam potero, & curandi & præservandi methodum breviter, quantum pro ingenii modulo licet, hic delineare atque exponere. Verum cum iuvenes morbos fere omnes pati queant, atque sic integram medendi methodum, sive ita dictam praxin medicam, magnumque librum requirerent, hinc, ne limites dissertationis excedam, de iis solum, quos divus HIPPOCRATES noster Sect. III. Aphor. XXIX, tanquam adolescentum & iuvenum morbos præcipuos & familiarissimos recenset, hic agere constitui. Faxit Deus ut fiat feliciter.

I.

Morbi iuveniles Hippocratis qui.

HIPPOCRATES vero in modo indicato aphorismo XXIX, ſect. III, ita ſcribit τοῖσι δὲ νεανίσκοισιν, αἵματος πτύσιες, φθίσιες, πυρετοὶ ὀξέες, ἐπιληψίαι, καὶ τ' ἄλλα νοσήματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα: id eſt, ut FOESIVS, interpretatur; (a) *Adoleſcentibus ſanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutæ, morbi comitiales* (ſive epilepſiæ) *aliique morbi, præcipue autem prædicti.* Quatuor igitur nominatim morborum ſpecies ab HIPPOCRATE hic, tanquam præ ceteris frequentiſſimæ & præcipuæ, huic ætati adiudicantur: nimirum *ſpuitiones ſanguinis, tabes, febres acutæ* et *epilepſiæ.* De tribus prioribus ſpeciebus nemo quidem facile erit, opinor, qui dubitet, iuvenes eis frequenter laborare; verum cur epilepſiam, tanquam morbum infantibus frequentiorem, huc referat, GALENO ſane (b) aliisque HIPPOCRATIS commentatoribus, imo & mihi haud adeo planum aut perſpicuum eſt: quia hic morbus adoleſcentibus & iuvenibus non tam familiaris, ut inter morbos frequentiſſimos iuvenum referri recte mereatur, niſi forte HIPPOCRATIS ætate morbus fuerit longe, quam hodie & Galeni tempore, frequentior: id quod tamen haud veriſimile videtur, illudque nemo hactenus probavit. Si HIPPOCRATES noſtris temporibus viveret, luem veneream, gonorrhœam, bubones venereos, ulcera, aliaque ſymptomata turpiſſimi morbi venerei rectius ad morbos iuvenibus frequentes, imo frequentiſſimos ſine dubio retuliſſet; ſed ex hoc ipſo ſatis conſtare arbitror, hanc luem illis tem-

 pori-

(a) in Hippocrate ſuo. (b) in Commentar. in hunc Aphoriſm.

poribus adhuc incognitam fuiſſe: licet me non fugiat, eſſe non nullos, eosque doctiſſimos viros, qui aliter ſentiant. Interea vero eos tantum morbos hic exponendos ſumemus, qui in prædicto aphoriſmo nobis ab HIPPOCRATE indicantur.

II.

Quales homines ſub iuvenibus hic intelligendi.

Antequam vero ad eos ipſos exponendos progredior, inquirendum prius ſe nobis offert, *quid ſub nomine τῶν νεανισκῶν, quod alii adoleſcentes, alii iuvenes vertiterunt, HIPPOCRATES proprie intellexerit*, quia interpretes & commentatores in eo non conveniunt. Evolvi hanc ob cauſam omnes, quotquot obtinere potui HIPPOCRATIS commentatores, ut GALENVM, *Anutium* FOESIVM, *Franciſcum* VALESIUM, *Chriſtophorum* A VEGA, (*tres Hiſpanos*) *Rodericum a* FONSECA, Luſitanum, *Antonium Muſam* BRASSAVOLVM, *Ferrarienſem*, HIERONYMVM CARDANVM, *Guilielmum* PLANTIVM, *Hieremiam* THRIVERIVM *Brachelium*, *Italos*, *Iacobum* HOLLERIVM, Gallum, FORESIVM, Ioh. HEVRNIVM, *Belgam*, alioſque.

III.

Variæ hac de re ſcriptorum ſententiæ expenduntur.

Plurimi eorum, ut & THEODORVS & ORIBASIVS, teſte BRASSAVOLO, Chriſtophorus item a VEGA, CARDANVS, FONSECA, HEVRNIVS, HOLLERIVS, PLANTIVS, FORESIVS, VALLESIVS, *Teod. Ianſon ab* ALMELOVEEN vocabulum νεανίσκοι vertunt Iuvenes (a) atque ſub his quidam intelligi volunt homines ab anno ætatis vigeſimo quinto ad trigeſimum quintum, ut GALENVS (b) maxime & HEVRNIVS; alii ut CARDANVS

(a) Omnes in Commentar in hunc aphoriſmum. (b) Commentar. in Hippocrat. Aphor. 9. Sect. V.

DANVS ab anno vigeſimo quinto, ad annum quadrageſimum ſecundum hanc τῶν νεανισκῶν ætatem extendunt; Alii vero ſub vocabulo νεανίσκοισιν *adoleſcentes* intelligi malunt, atque etiam ita reddiderunt, ut BRASSAVOLVS, (ſimul CELSVM, Medicorum CICERONEM, & HIPPOCRATEM latinum, in teſtimonium adducens, (a) qui per *adoleſcentes* illud vocabulum interpretatus eſt) FOESIVS (b) THRIVERIVS, (c) quorum ætas a pubertate incipit, anno ſcilicet, ut vulgo ſtatuunt ſcriptores, decimo ſeptimo vel octavo ad trigeſimum quintum, quia morbi ab HIPPOCRATE in aphoriſmo noſtro indicati, non modo iuvenes ſtricte dictos, qui annum vigeſimum quintum iam aſſecuti, aut ſuperarunt, aggrediuntur, verum ſæpiſſime iam annis adoleſcentiæ, (quæ à pubertate initium ducit) incipiunt, multosque iam, antequam ad iuvenilem ætatem (quæ proprie anno vigeſimo quinto incipit) perveniunt, iugulant, ſicut Domino Præſidi varia talia exempla nota ſunt, atque obſervationes id frequenter demonſtrant Quapropter, quia non ſolum experientia teſtatur, hos morbos adoleſcentibus quoque eſſe frequentes, verum etiam ipſe HIPPOCRATES Libr. V. Aphor. 9. mentem ſuam de ætate τῶν νεανισκῶν haud obſcure explicat, quando ait: *tabes ſive phthiſis* (intellige & ſanguinis ſpuitionem, phthiſin frequentiſſime præcedentem) *iis maxime ætatibus fit, quæ a decimo octavo ſunt ad triceſimum quintum:* hinc factum eſt, ut varii commentatores & interpretes (cum

(a) Lib. II. cap. I. (b) Tam in HIPPOCRATE ſuo, in notis ad hunc aphoriſmum, quam in ipſius œconomia HIPPOCRATIS, ſub voce νέος. (c) In commentar. ad hunc Aphoriſmum.

(cum quibus & nos facimus) ſtatuerint, HIPPOCRATEM hic ſub voce νεανίσκοι, *& adoleſcentes & iuvenes ſimul intelligere*, vocabulumque hoc utramque hanc ætatem denotare, ut antea laudatus *Cornelius CELSVS* (qui in vertendo hoc aphoriſmo adoleſcentiam & iuvenes coniunxit) (a) *Chriſtoph. a VEGA, THRIVERIVS, FONSECA, & FOESIVS*, (qui per adultos, ætate florentes, exponit,) (b) quamobrem etiam factum eſſe credimus, quod *Valleſius* in verſione huius aphoriſmi, neque adoleſcentes neque iuvenes, ſed generatim *Iuniores* ſcripſerit, quo vocabulo commode & adoleſcentes & iuvenes intelligi poſſunt. *Imo rem ipſam*, (obſervationem ſcilicet & experientiam) *indicare*, ait FOESIVS (c) *utramque hanc ætatem hic intelligendam eſſe.*.

IV.

Adhuc aliæ ſententiæ.

HEVRNIVS (d) putat iuvenes hic dici & intelligi, *ex quo vocem gravem edere ceperunt, ad id tempus, quo naturalis hæmorrhagia ſiſtitur; quod fere fieri*, ſcribit, *vigeſimo quinto ætatis anno.* Sed & hic nimis anguſtis cancellis hanc ætatem, de qua HIPPOCRATES hoc loco agit, includere videtur: cum & citius & tardius vulgo homines pro adoleſcentibus & iuvenibus haberi queant, prout quidam citius, quidam tardius adoleſcunt, aut iuvenilem ætatem conſequuntur. Multi enim iuvenes citius vocem gravem edere incipiunt, quam anno vigeſimo quinto. Idcirco etiam, mea quidem ſententia, ætatem hanc non tam anguſtis limitibus, nec

(a) Libr. II. cap. 1. (b) Oeconom. HIPPOCRATIS, voce νέος. (c) Commentar. in HIPPOCRATEM. (d) In commentar. ſuo in hunc HIPPOCRATIS Aphoriſmum.

nec certis annis in omnibus circumſcribi aut definiri poſſe. Vnde factum eſſe, opinor, quod multi adoleſcentiam iam ab anno decimo quarto, ut GALENVS, HOLLERIVS; alii a decimo quinto vel decimo ſexto; alii alio modo incipiant: quam ob diverſitatem liquet, *certos annos adoleſcentiæ vel iuventutis in omnibus promiſcue ſtatui non poſſe*; ſed ſenſu lato, ut vulgo dicunt, *has ætates hic ſimul comprehendendas eſſe.*

V.

Cum igitur morbi ab HIPPOCRATE hic indicati, tam adoleſcentiæ quam iuventuti ſint communes, eos iam paulo penitius examinabimus: & quidem primo *definitiones ſive deſcriptiones* eorum exhibebimus, ut, de quibus morbis hic agamus, rectius conſtet. Primus morborum, *ab Hippocrate* hic nominatus, eſt, quando ſanguinem exſpuunt iuvenes, quem Græci αἱματόπτυσιν, uno verbo, *Hæmoptyſin* vulgo appellant: quo nomine intelligi ſolet, non ſimplex ſanguinis ſputum, quod ſcreatu e faucibus vel naribus proveniens reiicitur, nullius fere momenti; verum *copioſior ſanguinis e pulmonibus ſpumoſi & floridi plerumque cum tuſſi reiectio.* Alter morbus eſt *Tabes*, quam φθίσιν Græci appellant, conſiſtens in extenuatione corporis, cum febricula continua hectica, tuſſi & reiectione materiæ purulentæ, plus minus fœtidæ, ſtriis ſæpe ſanguineis, imo ſincero ſubinde ſanguine intermixtis, ſudoribus frequentibus, præſertim nocturnis, variiſque aliis ſymptomatibus, ab ulcere in pulmonibus, plerumque poſt prægreſſam hæmoptyſin, proveniens. Tertius morbus iuvenum ſunt *Febres acutæ*, quæ chronicis opponuntur; ſub quarum nomine illæ febres continuæ omnes

Definitiones horum morborum exhibentur.

intelliguntur, quæ brevi tempore & cum periculo periodum ſuam abſolvunt. Vocantur vero febres acutæ in univerſum illi morbi, in quibus calor & pulſus præter naturalis celer, cum ſiti aliisque variis ſymptomatibus actionumque læſionibus diverſis, obſervantur, atque a veteribus ad morbos intemperiei calidæ referuntur. GALENVS quoque huc referri vult febres tertianas, tanquam morbos iuvenibus quoque frequentes; verum quia HIPPOCRATES de iis hic tacet, nos etiam eas prætermittemus. *Morbus comitialis* ſive *Epilepſia* eſt privatio ſenſus motusque voluntarii, cum proſtratione corporis, motibus convulſivis, ſive involuntariis, vel totius corporis, vel aliquarum partium.

VI.

Signa diagnoſtica horum morborum

SIGNA DIAGNOSTICA ſputi cruenti ſunt maxime reiectio ſanguinis floridi, ſpumoſi, modo parcior, modo copioſior, quandoque ſine, utplurimum vero cum tuſſi; quibus ſignis diſtinguitur facile a ſanguinis ſputo, qui e faucibus ſcreatu tantum excernitur, itemque a vomitu cruento, ubi ſanguis non ſolum vomitu, verum etiam plerumque grumoſus et niger, non floridus neque ſpumoſus, reiicitur. Recte enim CELSVS ait: (a) *Qui ſpumantem ſanguinem excreant, his in pulmone vitium eſt. Tabis ſigna* iam in deſcriptione eius (V.) continentur: quæ ſymptomata ab initio ſunt adeo levia, ut difficulter ſæpe cognoſcatur morbus; ſenſim vero fiunt vehementiora, ut malum ſatis clare pateat: donec tandem, ſicut plerumque fieri ſolet, æger iuguletur. His addatur CELSI moni-

(a) Lib. II. cap. VII.

monitum: (a) Qui de *Phthisi dubitant an sit, hac nota utantur. Quod excreatum est, si in ignem impositum mali odoris est.* Verum *Febrium acutarum signa* pathognomonica sunt *calor & pulsus præternaturalis auctus*: quibus plerumque *sitis*, *appetitus prostratus*, *cephalalgia*, *debilitas corporis, sive virium prostratio*, *maior vel minor*, imo non raro *insania* accedit, aliaque symptomata, pro subiectorum caussarumque diversitate variantia. *Epilepsiæ signa* præcipua tam perspicue etiam supra (v) indicata eaque tam cognita sunt omnibus, ut plura hic addere supervacaneum fere esse censeam; nam quod spuma oris, digiti contracti, oculorumque distorsiones horridæ in paroxysmis eorum appareant, variasque gesticulationes & clamores sæpe perficiant, paucos latet.

VII.

SUBIECTA, quæ his morbis sæpissime affliguntur, sunt generatim adolescentes & iuvenes temperamenti sanguinei, calidioris & biliosi, quibus sanguis copiosus, abundans, volatilis, floridus, tenuis, biliosus aut acris. Speciatim vero *hæmptysi facile corripi observantur cholerico-sanguinei*, staturæ longæ, corporis gracilis, pectoris angusti, compressi, colli longi, ingenii alacris, ad iram aut terrorem proni, spirituosis abutentes, forti vocis contentione canentes aut loquentes, ut cantores, musici, concionatores, item qui in pueritia hæmorrhagiis narium frequenter fuerunt obnoxii, & feminæ, quibus menses vel nondum fluxerunt vel suppressi sunt. *Tabe eadem subiecta* corripiuntur: quia hæc plerumque hæmoptysin sequitur. Idcirco, quæ huic, etiam illi facile obnoxia sunt. *Febribus acutis* maxime Subiecta.

(a) Lib. III. cap. XXII.

corripiuntur ſanguinei & cholerico-ſanguinei: ob varios vero in diæta errores etiam alia temperamenta. *Epilepſiæ* etiam, ſi qui adoleſcentes aut iuvenes ea afficiuntur, ſanguinei potiſſimum illi ſunt temperamenti, aut variolæ inſtant; & ex femellis, quæ vel menſium fluxum nondum expertæ, vel quibus ſanguis per menſtrua non reſpondet, ut CELSVS ait, (a) maxime ſi iræ & terrori facile deditæ ſunt.

VIII.

Cauſſa hæmoptyſis an ab anima?

CAVSSAS *ſputi cruenti* ſi examinamus, multi hodie ſunt Medicorum, qui *prudenti hoc naturæ aut animæ rationalis inſtituto ſive conſilio adſcribunt*, eum in finem, ut corpus hac excretione à ſuperfluo & ſuperabundante ſanguine ſe liberet: quo conſilio aperirentur vaſa in pulmonibus, atque ſic ſupervacaneus, ſalutari naturæ inſtituto e corpore expelleretur ſanguis, ut poſtea reliquus in vaſis eo melius circumagi moverique poſſit, pro reliqui corporis, vitæ, ſanitatisque conſervatione. Verum hæc ratio mihi parum placet, multo minus ſatisfacit.

Dubia contra hanc ſententiam.

Primo enim anima rationalis, (quam ſub naturæ vocabulo, meo quidem iudicio, perperam multi hodie intelligi volunt) profecto non rationalis aut prudens, verum ſtultiſſima eſſet dicenda, quæ in homine ſapiente (nam ſagaciſſima & acutiſſima ingenia ſæpe hoc morbo afficiuntur) ad ſanguinem vel abundantem, vel fervidum expellendum, vaſa in pulmone, viſcere corporis adeo nobili, non facile ſanabili & ad vitam ſumme neceſſario, perrumperet, unde poſtea haud raro tanta ſequitur profuſio ſanginis, ut una cum ſanguine ipſa anima infeliciter ſæpe profundatur; aut ob diffici-
lem

(a) Lib. IV. cap. IV.

lem ſanationem facile ulcus pulmonum ſive phthiſis & mors ſubſequuntur: cum potius, ſi anima rationalis cum deliberatione & pro arbitrio ſanguinem expellere ſtuderet, locum minus nobilem, naſum, anum, aliamve partem noſſet, ubi innoxie & absque tanto damno ſanguinem reiicere poſſet. Deinde, ſi anima talis hominis quæritur, an evacuationem hanc efficiat: eius rei non modo non eſt conſcia; verum potius longe aliud deſiderat atque etiam omnibus viribus efficere ſtudet; prorſus enim non vult, ſanginem per pulmones egredi; verum illud omni conatu omnibusque remediis impedire ſtudet: ſuæ tamen animæ voluntate, imo anxio deſiderio, æger talis nihil præſtare poteſt. Quomodo igitur res abſurdæ, noxiæ, periculoſæ, quas omni ſtudio avertere cupit, deſiderat, intendit, ipſi adſcribi poterunt, quaſi magna induſtria, conſilio, imo ſciens volensque eas perficeret: de quibus tamen neque ſomnians, multo minus vigilans cogitavit. Nota enim ſunt exempla Dn. Præſidi non modo variorum prudentiſſimorum hominum, verum ipſorum Medicorum egregie doctorum, qui non modo omni animi contentione, ſed etiam remediis quibuscunque optimis ſanguinis eiectionem ex pectore impedire voluerunt, (quia anima ipſorum non ſolum cognoverat valde noxiam & funeſtam eſſe ſanguinis e pulmonibus profuſionem) verum fruſtra omnia egerunt. Sanguis enim e pulmonibus prorumpere non ceſſavit, ſed tandem etiam ob hanc profuſionem neci occumbere coacti fuerunt. Unde profecto ſatis conſtare poſſe puto, animam rationalem non eſſe, quæ cauſſa ſit efficiens periculoſi huius fluxus ſanguinis: quia

illa longe aliud vult, intendit, agereque conatur, ſed alias huius rei cauſſas inveſtigandas eſſe.

IX.

Mechanicis cauſſis rectius adſcribitur.

Mechanicis igitur rationibus huius rei cauſſas longe melius certiusque explicari poſſe puto: quas etiam varios ex veteribus haud obſcure perſpexiſſe cognovi: & primo quidem conſtat, ex prudenti ordinatione divina, aut ſi mavis neceſſitate, in pueris & adoleſcentibus, qui adhuc creſcunt, neceſſario plus ſanguinis confici, quam pro ſimplici eorum nutritione requirebatur: ut nimirum materia, non modo pro nutritione ſive conſervatione adeſſet, verum etiam, ut pro corporis accretione, incremento atque augmento ſupereſſet, ſine qua alias corpus creſcere & ad debitam perfectionem pervenire non potuiſſet. Quando vero corpus non amplius creſcit aut extenditur, ſed ad perfectionem pervenit, appetitus tamen in adoleſcentibus & iuvenibus, ſicut plerumque fieri ſolet, adhuc bene viget, ſicut antea, hæcque ætas ingluviei, voracitati, ſive exceſſui in alimentis capiendis facile indulgeat: quid certius inde ſequitur, quam a ventriculo vegeto, robuſto, iuvenili, plus chyli confici, quam ad nutritionem eorum requiritur; hinc & plus ingreditur in vaſa & viſcera, (quæ ſe extendi patiuntur, & moli ſanguinis & humorum aliquamdiu & ſæpe multum cedunt) quam commode in eis vehi contineríque poteſt aut debet. Quemadmodum vero canales membranacei aliique eodem modo, ut oræ fluviorum aggereſque horum & ipſius oceani a copia & impetu aquarum ſive liquidorum fluentium, iis præſertim in locis, ubi debiliores ſunt, minusque reſiſtunt, rumpuntur, vel foramina quædam eorum minora valde di-

de dilatantur, ut tandem ingens aquæ moles, nunc maior nunc minor, ex consuetis terminis proruat; ita etiam nimia sanguinis moles, (quam plethoram vocant Medici) vasa, quibus alias coercetur, in locis debilioribus sæpe perrumpit, aut foramina insensilia, quæ *poros* vulgo appellant, ita tandem dilatat, ut nunc maiori, nunc minori, copia prorumpat. Quod, si in pulmonibus contingit, oritur inde ille morbus, de quo hic agimus, nimirum hæmoptysis; sin alio in loco, alia hæmorrhagiæ species: id quod pro partium corporis diversa naturali & congenita aut acquisita debilitate fortuitum plane esse censemus.

X.

Minime itaque credimus evacuationem hanc certo animæ consilio in pulmonibus hic fieri; verum vel casu hoc accidere mere fortuito, vel externis rebus caussam hanc esse adscribendam arbitramur. Prout enim canales hydraulici modo hic, modo alibi, casu rumpuntur, ubi natura debiliores sunt, vel ubi vim quandam perpessi; vel ibi, quo impetus aquarum maxime vergit; prout etiam idem in aggeribus observatur, qui aquarum impetu non certo consilio, sed casu hic & illic, ubi ob quamcunque caussam debiliores, disrumpuntur; ita etiam, ubi vasa corporis debiliora, & vel ad rupturam, vel ad foraminulorum insensilium, dilatationem magis disposita, sanguinem impetu & copia, imo & acrimonia subinde urgentem, transmittunt. Hinc fit, ut in multis per narium vasa erumpat; in aliis per pulmonem, tanquam viscus valde tenerum, spongiosum & vesiculosum; in aliis per alia loca, prout quilibet fere homo certam quandam, præ aliis partibus imbecillam

Uberius explicatur & probatur.

habet

habet, ut recte iam CELSVS notavit, (a) hinc etiam obſervatur, in eis, qui huic morbo ſunt obnoxii, pulmones eſſe vel natura, vel cauſſa quadam violenta externa, ut plaga, lapſu &c. debiles, atque utplurimum ſimul ſanguinis adeſſe copiam, eumque tenuem & floridum eſſe ex vivido floridoque faciei colore, quem plerumque tales ægri, præſertim antequam nimis debiles fiunt, præ ſe ferunt, cognoſci poteſt.

XI.

Cauſſæ externæ.

Accedunt vero cauſſæ huius eruptionis in pulmonibus variæ externæ in hac ætate, ſicut ſcite notavit GALENVS: (b) *tabem enim & ſanguinis exſpuitiones iuvenes non pati*, ait, *ob ætatis naturam, ſed ex accidenti quodam: propter intemperantiam ſcilicet, vulnera, contuſiones, ſaltationes & vociferationes vehementiores, vel ob plenitudinem nimiam*, aliasque eiusmodi occaſiones, in quibus hæc ætas modum non facile obſervat: quam ob cautelam, ſenes fere minus ægrotare iuvenibus, HIPPOCRATES recte affirmavit. Ita etiam videmus in aliis partibus a cauſſa externa ſemel debilitatis, ut a vulnere lapſu vel plaga, poſtea facile denuo hæmorrhagias oriri. Si enim nares aut renes ſemel ex cauſſa violenta hæmorrhagiam aut mictum cruentum paſſi ſunt, ex levi cauſſa iisdem ſymptomatibus iterum corripiuntur: non ob animæ in hoc negotio actionem prudentem; verum ob rationes mechanicas, partes ſcilicet debilitatas & imbecillas, ſanguinis impetum ſuſtinere non valentes: unde facile aperiuntur vel rumpuntur, & priſtina mala recrudeſcunt. Ita ſi pulmo natura homini eſt imbecillus, ut vi ſanguinis irruenti reſiſtere ſatis nequeat, eius vaſa rumpentur,

(a) lib. 1. cap. 3. (b) in expoſit. huius aphoriſmi.

pentur, & orietur hæmoptysis, etiamsi nulla læsio externa acciderit. Idcirco cum caussæ adsint tam manifestæ, physicæ ac mechanicæ huius morbi, non opus esse existimo ad occultam, dubiam, & nusquam probatam animæ actionem ad phænomena talia explicanda confugere: sicut enim ex fortuito aquarum in aggeres aut canales irruentium impetu hi rumpuntur, & gravissima sæpe damna inde proveniunt; ita etiam ex vasorum pulmonalium, aliorumque in nobilioribus visceribus existentium ex impetu facta læsione, maxima, imo lethalia sæpe mala, ut frequens docuit observatio, subsequuntur. *Caussam igitur proximam hæmoptyseos* statuimus fortuitam vasorum pulmonalium læsionem, ut sanguinem ad asperam arteriam transmittant; quæ vero a plethora, motu nimio sanguinis, aliisque innumeris fere *caussis remotis* produci potest.

XII.

Quemadmodum vero ex dictis patere opinor, caussam proximam hæmoptyseos fortuitam esse, ob vasa pulmonalia reliquis imbecilliora, atque non certo animæ consilio lædi, ita etiam idem sentio *de caussa tabis sive phthiseos*: quippe quæ, notante GALENO, loco citato, & suffragante experientia, sanguinis sputum ordinarie sequitur: quando nimirum a læsione vasorum pulmonalium ulcus, vel ob rupturam eorundem, vel ob sanguinem extra vasa effusum, & in pulmonibus restitantem, ac putrescentem, eorum vesiculosam, teneramque substantiam sensim exedentem, suboritur, unde necessario nobilissimi huius visceris actiones læduntur, atque anomaliæ illæ sub symptomatum & signorum nomine, supra descriptorum, proveniunt: qua ex læsione etiam sympto- De caussis tabis.

 ma-

matum rationes manifestæ facile reddi poſſunt, ut eas hic ordine ac prolixe deſcribere non ſit neceſſe. Pergamus igitur *ad febrium acutarum cauſſas examinandas.*

XIIII.

Cauſſæ febrium acutarum.

Has etiam non a prudenti molimine ſive conatu animæ rationalis pendere aut deduci recte poſſe arbitror: quia anima hæc neque ante acceſſum febris aliquid noxii eiiciendum cognoſcit, præſentit aut perſpicit; neque quid noxii in corpore ſit in ipſa febri novit. Provocamus enim ad fidem & teſtimonium omnium eorum, qui unquam febri quadam laborarunt, an anima ipſorum tale quid unquam perceperit aut cognoverit: mirandumque eſſet, ſi anima damna talia & noxas in corpore ſentiret vel cognoſceret, aut ſentire & cognoſcere poſſet, quare non in principio & citius, quam cauſſa peccans in talem copiam aut molem exceſceret, aut ad talem vehementiam, qualis præſertim in febribus malignis obſervatur, perveniret, leniori minusque periculoſa methodo in tempore eam expelleret. Quapropter mea eſt ſententia, cum in omni febre motus cordis obſervetur velocior ſive naturali celerior, aliquid accedere in generatione harum febrium, quod motum cordis præter naturam ita adaugeat, ut inde pulſus celer, & ex hoc motus ſanguinis auctus, æſtus, ſiccitas, ſitis, dolor capitis, deliria aliaque ſymptomata ſubſequantur. Quoniam vero iuvenum ſanguis, ſua natura, ut multa phænomena docent, eſt maxime fervidus, floridus, ebulliens, præſertim in ſanguineis & cholericis, aut ſanguineo-cholericis, facile aliquid, id eſt, cauſſa quædam accedere poteſt, quæ motum cordis, (quem alias non pro animæ voluntate aut arbitrio, verum a variis cauſſis

aliis

aliis accelerari videmus) in tantum augere valet, quantum pro febrili motu aut febri ipſa producenda eſt ſufficiens. Ita enim a copioſiori vini aliarumque inebriantium potu, vel ab ira, vel a motu corporis fortiori, motum cordis febrili ſimilem, imo febrem ipſam ſæpe ſæpius oriri cernimus, ſi modo illa cauſſa motus velocioris, (ſive illa in aucto motu liquidi nervei, ſive in irritatione cordis vaſorumque aliave in cauſſa ſubſiſtat) continuetur. Ideoque ex rationibus dictis *motum cordis celeriorem febrium cauſſam proximam eſſe*, ſine reſpectu ad animam, affirmamus. Quæ, vero res motum cordis accelerant atque ſic febrem acutam producunt,(quarum innumeræ eſſe poſſunt, modo ex parte a nobis indicatæ) illæ pro *cauſſis harum febrium remotis* habendæ.

XIV.

Minime vero omnium eis ſubſcribere poſſum, qui ſymptomatum adeo tragicorum atque funeſtorum, quæ in *epilepſia* obſervantur, dum ægrotantis, in paroxyſmi epileptici acceſſu, (quo anima prorſus nihil ſcit de eo, quod tunc fit vel agitur) lapſu graviori caput collumque ſæpe frangitur, vel caſu præcipiti, dum ſæpe ruunt, ſubinde axanimentur, aliove modo miſerrimi redduntur, illius cauſſam animæ, recto iudicio agenti, ſine ulla hæſitatione audacter adſcribunt: cum profecto rationes non pateant, quibus tales anomalias corporique pernicioſiſſimos effectus ab anima prudenti, rationali, deducere recte poſſint; cum potius æger enormibus hisce motibus, contorſionibus horrendis, privationeque ſenſuum omnium, tam externorum, quam internorum, in ſtatum adeo miſerandum coniiciatur, ut inde etiam vernacula noſtra hic morbus vocabulis valde

Cauſſa Epilepſiæ non ab anima.

energeticis die Schwere-Noth / der Jammer / das Unglück / das Böse-wesen / (quibus maiores noſtri morbum maxime deplorandum indicare voluerunt, ob ſummam vehementiam, miſerrimumque ſtatum, in quo ægri hi verſantur, ita, ut quoscunque etiam ad miſericordiam commoveant) rectiſſime appelletur.

XV.

Irritatio potius eſt cerebri & nervorum.

Ideo rectius mihi ſentire videntur, qui *cauſſam epilepſiæ rem quandam ſingulari & præternaturali modo cerebrum vel nervos irritantem* ſtatuunt: quam irritationem motus & contractiones illæ vehementes & præternaturales epileptici, ſenſuumque omnium perturbatio graviſſima ſubſequuntur. Nervoſas enim partes in viventibus valde eſſe ſenſiles, atque ab earum læſionibus convulſiones & epilepſiam ſæpe produci, res eſt vel vulgo quoque notiſſima. Nam in læſionibus cranii, ubi feſtucæ oſſium, aliæve cauſſæ irritantes cerebrum eiusque membranas aut nervos pungunt vellicantque; in læſionibus nervorum & tendinum; in vermibus inteſtina rodentibus; in dentitione infantum, ubi dentes nervoſas gingivarum membranas firmiores aut ſenſiliores perforare conantur, aliisque ſimilibus in rebus comitialem morbum oriri, ex irritatione, vellicatione, muſculos, nervos, cerebrumque in vehementes motus præternaturales convulſivos & epilepticos trahente, talesque enormes miſerasque turbas excitante obſervamus, in quibus nihil ordinatum, nihil cum prudentia, ratione vel iudicio actum, nihilque certo conſilio, ſed confuſo, tumultuario, & prorſus præternaturali ordine motum eſſe apparet. Præterea, ſi ægri, vel quod idem eſt, anima talium ægrorum quæritur vel examinatur, an

an harum actionum, quæ in paroxysmo contigerunt, vel ante vel post paroxysmum sit conscia; negabit, & se prorsus nihil scire, quid modo in paroxysmo, aut quam ob rationem, quod contigit, actum sit, affirmabit. Quapropter nullam video rationem, quare, aut quomodo hæ actiones animæ rationali adscribi iure queant.

XVI.

Ad antea indicatas caussas, irritationes convulsionesque epilepticas producentes, aliasque plures a variis descriptas, *Plethoram* sive abundantiam sanguinis referendam merito esse existimo: quia videmus virgines mulieresque ob menses non rite succedentes, comitiali morbo haud raro corripi. Ita etiam D. Præses iuvenes vidit temperamenti sanguinei, & cholerico-sanguinei, quibus, manifesto plethoræ indicio, sanguis in paroxysmo e naribus & faucibus copiose prærupit, & qui iusta sanguinis missione paroxysmos averterunt: sanguis enim abundans vasaque & membranas nerveas valde distendens, atque in subiectis dispositis irritationes notabiliores producens, ipsam tandem epilepsiam provocare valet, ut ex dictis modo constare potest. Quamdiu igitur rationibus manifestis aut clarioribus res explicari intelligique potest, ad occultas dubiasque & cum ratione haud convenientes minime confugiendum esse censeo.

Alia epilepsiæ caussa plethora.

XVII.

Quod ad PROGNOSIN attinet horum morborum, (quam breviter etiam perpendemus) & quidem primo *sputi cruenti*, in universum nihil boni de eo præsagiri potest. Omnes enim tales reiectiones sanguinis malæ & periculosæ; præsertim, quo sunt graviores, frequentio-

Prognosis morborum juvenilium.

res aut magis inveteratæ & cum aliis ſymptomatibus pravis ſtipatæ, aut hæreditariæ: tunc enim plerumque in ulcus pulmonis, tabem ſive phthiſin pulmonalem inſanabilem, & mortem, citius vel tardius deſinunt. Quando autem malum incipiens, vel raro affligens, reiectio ſanguinis parca, aliaque ſymptomata mitiora, æger ſobrius, Medico prudenti morem gerens, ſpes eſt, licet ſemper anceps, reconvaleſcentiæ: quia leviſſimam ob cauſam ſæpe recrudeſcit morbus. *Phthiſeos vero prognoſis* longe peior eſt, & incipiens rariſſime, confirmata vero nunquam curatur: quia ulcus in viſcere tali ſpongioſo & perpetuo mobili vix atque ne vix conſolidari poteſt. *Febrium acutarum* nulla quoque, *Hippocratis* effatu, certa prognoſis, & ægri non raro præter omnem ſpem moriuntur; alii vero e graviſſimis ſæpe ſymptomatibus & ubi omnia quaſi conclamata apparent, eluctantur. Interim tamen quo vires meliores atque conſtantiores, quoque ſymptomata mitiora & pauciora, eo melior evadendi ſpes eſt. Si vero contrario modo ſeſe habeant ægri, in ſtatu verſantur ancipiti atque valde periculoſo. *Comitialis morbus* peſſimæ eſt indolis, atque raro fauſti eſt præſagii: præſertim ſi a cauſſis internis, occultis, ignotis, maxime in cerebro, quæ ſæpe perſpici aut cognoſci non poſſunt, ortum trahat. Sin vero cauſſæ ſint notæ, præſertim externæ, quas tollere valemus; ſi plethora, vel vermes morbum fecerint; ſi a dentitione difficili, vel lacte corrupto in ventriculo infantum, ſi a menſibus aliisque ſanguinis evacuationibus obſtructis proveniat, curationem ſæpe admittit, alias morbus eſt curatu difficilimus.

XVIII.

In CVRATIONE horum morborum breves quoque esse volumus: interea tamen ea, quæ ad rem maxime pertinere existimabimus, non prætermittemus. *In hæmoptysi* igitur leviori in paroxysmo requiritur, primo regimen quietum & temperatum, ad frigus potius moderatum, quam ad æstum inclinans. Deinde ægro sæpius exhibenda medicamenta orgasmum sanguinis temperantia: qualia sunt pulveres ex Lap. 69. conch. pptis, præsertim succo citri vel aceto saturatis. matr. perlar. tartar. vitriolato & nitro parati, qui ex aquis temperantibus, ut aqua plantag. papav. rh. borrag. buglos. acetosæ, card, bened. bursæ pastoris, equiseti & similibus, singulis aut alternis horis, sæpius aut tardius, pro morbi vehementia ad scrup. 1 vel drachm. dimid. danda. Quibus aquis etiam temperans, aut leniter adstringens sirupus, ut papav. rh. violar. rubi idæi, corallior. granatorumve, itemque Tinct. quædam acidula temperans, Tinct. nempe fl. rosar. aut papav. rhead. gratiæ & efficaciæ maioris causa addi potest. *Potus* sit tenuis, aqueus, refrigerans, ut decoctum hordei, Tinct. fl. papav. vel rosar. leniter ad gratum usque acorem imprægnatum & sirupo quodam ex supra nominatis paullo edulcatum, vel aliud simile. Cerevisia tenuissima quoque concedi potest; omnis vero potus calefaciens vitandus. Cibus sit parcus, tenuis, & succo citri, acetosa, vel aceto, si cibi genus hoc permittit, leviter conditus; vitandus vero aromaticus, salsus, multus.

Curatio primo hæmoptyseos levioris.

XIX.

In graviori vero malo, ubi prædicta ad cohibendum sputum cruentum non sufficiunt, *Venæsectio* re-

Curatio gravioris hæmoptyseos.

vulso-

vulſoria in pede erit inſtituenda: qua ſæpe multum in hoc morbo efficitur. Imo & ex cucurbitulis pedibus in vehementi paroxyſmo applicatis magnam hic vidit efficaciam D. Præſes. Præterea ſupra laudatis medicamentis, orgasmum temperantibus, lenia adſtringentia & anodyna addenda: ut corallia rubra ppt. lap. hæmatit. ppt. crocus martis adſtringens, ſpec. de hyacintho: (quæ & ſolæ hic ſæpe egregium effectum edunt) quibus circa veſperam, maxime MP. de cynogloſſa gr. I. vel II, aut laudani opiati granulum unicum duabus vel tribus doſibus admiſcetur. Aut horum locum *pulvis adſtringens HEVRNII* (a) perquam celebris & egregius ſubire poteſt. Potiuncula quoque adſtringens, ad normam *SYLVII* concinnata, egregium præſtare ſæpe ſolet officium, ſi ad cochlearia duo vel tria ſæpius, donec malum notabiliter remittat, exhibeatur v. g.

℞. Aq. plantag. unc. IV.
burſ. paſtor.
equiset. à unc. II.
Acet. deſtill. unc. dimid.
Corall. rubr. ppt. drachm. I.
lap. hæmatit. ppt. drachm. dimid.
Laud. Opiat. gr. I.
Sirup. granator. myrtin.
Vel papav. rh. unc. I. M.

HEL-

(a) in Commentar. ad Aphor. Hippocrat. Sect. V. Aphor. L. deſcriptus, qui ita paratur.
℞. Sem. hyoſcyam. alb.
papav. alb. à drachm. I.
lap. hæmatit. ppt.
Corall. rubr. ppt. à drachm. dimid.
Caphur. ſcrup. dimid. M. doſis drachm. dimidia mane et veſperi, ſecundum autorem.

HELVETIVS, in tractatu Gallico de ſanguinis fluxibus, (a) maximopere laudat, ad quascunque ſanguinis fluxus enormiores, uſum aluminis, vel crudi in pulvere, vel cum ſanguine draconis, prægreſſa fuſione, in pilulas redacti, tanquam potentiſſimi, atque in his morbis efficaciſſimi & certiſſimi remedii adſtringentis, ſi quovis quadrihorio ad drachm. dimid. vel unam cum aqua vel ptiſana vel ſirupo quodam ægris exhibeatur, donec fluxus ceſſet. Poſtea per aliquot adhuc dies parcam doſin ſemel vel bis quotidie aſſumendam, ad mali recrudeſcentiam præcavendam, commendat. Circa quod vero, ut & omnia adſtringentia fortiora, monemus, ne mox ab initio, antequam orgasmus aliquo modo per temperantia ſit ſedatus, aut venæ ſectio celebrata, exhibeantur: quia alias ſanguinem citius, quam par eſt, figunt, vaſa conſtringunt, obſtructiones, &, vel cachexiam, vel hydropem vel tabem producunt. Deinde, ne magnis doſibus ſimul & ſemel exhibeantur; (niſi forte ſummum periculum id exigat,) verum parca & potius ſæpius iterata: & ut eandem ob cauſſam mox ab eorum largiori uſu deſiſtatur, ſimulac hæmoptyſis ceſſat, vel notabiliter remittit. Poſtea vero remedia blande reſolventia, præſertim infuſa & eſſentiæ radicum ac herbarum traumaticarum, pulveres, aliaque reſolventia, tonica & conſolidantia remedia ſubiungantur: quo nomine etiam valde laudatur *infuſum lapidum cancrorum vel teſtarum ovorum* vino Rhenano paratum, & ſubinde ad uncias duas vel tres uſurpatum. Igitur monemus iterum, ne adſtringentia, niſi ſumma urgente neceſſitate, aliisque nihil proficientibus, demum ex-

D hi-

(a) cui titulus: *Traité des pertes du ſang.* Paris. 1706. 12.

hibeantur, congruaque remedia poſtea dentur, ne nova & graviora mala excitentur. Ceterum *ſi morbus a menſibus, hæmorrhoidibus* aliisque conſuetis evacuationibus obſtructis, concitatus, congruis remediis hæ in ordinem ſunt redigendæ ſervandæque.

XX.

Remedia externa.

Externe in hoc morbo egregium ſæpe opem præſtant *lapidis hæmatitidis* fruſta magna manibus aliquamdiu detenta: quæ ob frigus, quo ſanguinis ebullitionem temperant, potiſſimum hic prodeſſe videntur. Deinde etiam *bufones* exſiccati, ſub alis aliquamdiu repoſiti, haud raro conducunt: quos ob horrorem, quo ſanguinem figunt, eiusque motum alterant, conducere exiſtimo. *Ligaturæ fortiores* carpis manuum & circa malleolos pedum applicatæ, revellendo ſubinde, dum dolorem creant, aliquid præſtant. Sanguinem ore rejectum, *pulverisque ſympathetici* in aqua tepida ſolutioni iniectum atque exagitatum, interdum quoque bonum effectum præſtare nonnulli perhibent.

XXI.

Præſervatio hæmoptyſeos.

Extra paroxysmum *ad præſervationem hæmoptyſis* & ſubſequentis tabis, *ſanguinis miſſiones* largæ, præſertim in pedibus, verno & autumnali tempore celebratæ, utiliſſimæ, imo ſumme neceſſariæ ſunt. In valde plethoricis ſubinde adhuc ſæpius inſtituendæ, aut *ſcarificationes* in pedibus interponendæ. *In diæta* parce & ſobrie vivendum, fugienda ſatietas, ſive omnis nimia repletio & exceſſus, maxime vero omnia æſtum ſanguini inducentia: ideoque & *aer* calidior, *cibus* & *potus* calefaciens, vinoſus, ſpirituoſus, *motus nimius* & violentior, *ſaltatio*, elevatio ponderum graviorum, voci-

feratio

feratio & cantatio fortior, *ira* & excandeſcentia, maxime etiam *venus*, præſertim præmatura, aut eius exceſſus & abuſus. E contrario, conducit *aer temperatus*, frigidiuſculus potius quam calidior; attamen ventus vehementior, frigidior & præſertim borealis valde noxius eſt. Cibus ſit parcus, tenuis, & blande refrigerans; *motus* corporis moderatus, at frequens; *potus aqueus* aſſumatur ſufficiens, tenuis, ut ptiſana quædam, vel cereviſia tenuis probe defæcata, infuſum herbarum pectoralium traumaticarum, & ſubinde aliquoties in hebdomade doſis aliqua medicamenti cuiusdam tonici, ut *Mixtura tonica Stahlii*, itemque, præſertim ſi æſtus vel orgasmus quidam ſanguinis percipiatur, apta doſis pulveris cuiusdam temperantis aſſumatur: corpus leni laxante ſubinde purgetur, ut tamarindis, foliis ſennæ, rhabarbaro, manna, magneſia alba, aut ſale catharctico: ita ſani ſæpe vivere, morbum vincere, atque imminentem phthiſin avertere poſſunt, præſertim ſi ſimul conſuetæ ſanguinis evacuationes, ut menſtrua feminarum in ordine ſervantur.

XXII.

Phthiſis confirmata aut inveterata, quantum obſervationes optimorum Medicorum & experientia teſtantur, nullam admittit curationem, ſed inſanabilis eſt: adeoque remedia a multis ſcriptoribus commendata, hic recenſere, laborem eſſe cenſemus ſupervacaneum. Mitigatur aliquo modo *infuſis herbarum pectoralium* & traumaticarum, pulveribus temperantibus, gelatinis, emulſionibus & iusculis analepticis. *Incipiens* vero, requirit frequentem ſanguinis miſſionem in pedibus, pulveres temperantes, infuſa ex herbis pectoralibus & Phthiſeos curatio.

 trau-

traumaticis: quo nomine maxime celebrantur herbæ ſcabioſæ, veronicæ, ſaniculæ, virgæ aureæ, conſolidæ Saracenicæ &c. & leniſſima balſamica, ut Elixir pectorale Wedelii aut Michaelis; Eſſentia helenii, hyperici, pimpinell. alb. ſuccin. balſ. Peruv. pulvereſque & electuaria ex ſimilibus, maxime ex maſtiche, therebinthina cocta, opobalſamo vero, balſamo Peruviano, conſerva roſarum & melle roſato parata, unde *balſamus pectoralis MEIBOMII* & traumaticus *LVCATELLI*, præſertim a *DEKKERO* (a) correctus (qui ex ſimilibus conſtant) nomen adepti ſunt. STAHLIVS (b) aquam veronicæ cum vino deſtillatam valde commendat. Quibus ſubinde *emulſiones*, & *gelatinæ* analepticæ interponendæ, & quandoque ad affluxum copioſiorem a pectore avertendum ac revellendum, leniſſimum *purgans*: ut decoct. paſſularum aut tamarindorum cum manna, aut ſimilia. Non pauci *curam lactis*, præſertim aſinini vel caprilli, aut quod hodie apud nonnullos moris fit, equini extollunt. Hæc tamen omnia in vera & confirmata phthiſi utplurimum nihil efficiunt, ſed ægri plerumque moriuntur. HELVETIVS tamen, libro ſupra laudato pag. 68 affirmat, ſe ægrum poſt hæmoptyſin trium annorum a phthiſi curaſſe *uſu lactis vaccini, cui aquæ calcis vivæ* tertiam admiſcuerit.

XXIII.

Curatio febrium acutarum.

Febrium acutarum curatio conſiſtit in temperando moderandoque velociori motu cordis & inde oriundo æſtu præternaturali, aliisque ſymptomatibus. Deinde in cauſæ morbi, quæ auctiorem motum cordis excitaverat, correctione, & blanda e corpore eliminatione.

Vtrum-

(a) Exercitat. pract. p. 149. (b) diſſertat. de Affect. Pect. p. 47.

Vtrumque, tam in benignis, quam malignis, perficiunt temperantia & lenia diaphoretica: ut pulveres ex lap. 69 conchis præpar. antimon. diaphoreti. & nitro parati, aliive ſimiles, aliquoties in die cum aquis temperantibus & diaphoreticis exhibiti; quibus iungendus potus ſufficiens aqueus, præſertim temperatis acidis acidiuſculus redditus; ut decoctum C. C. citratum, vel decoctum hordei, ſirupo acetoſ. citri, ribeſior, ceraſ. acidor. aliove ſimili, ad gratiam impraegnatum; vel decoctum pomorum, inprimis Borſtorffienſium; aut decoctum avenæ: quibus in maiori æſtu & ſiti adhuc aliquot guttæ ſp. vitrioli vel ſulphuris ad lenem acorem adduntur: ſic orgasmus & ſitis egregie his temperantur, maxime ſi ſubinde potus calidus, aqueus, diaphoreticus infuſi theæ vel herbæ veronicæ, & in malignis, herbæ ſcordii, ſalviæ, aut ſimilium herbarum interponatur. *Quando æger valde eſt plethoricus*, aut æſtus mox in principio ingens, ſtatim phlebotomia inſtituenda, ſanguinisque ſatis larga, pro virium & ætatis ratione, emittenda eſt copia. Ubi vero talia indicantia non adſunt, aut exanthemata ſe oſtendunt, aut virium adſit inſignis proſtratio, malignitatis haud fallax index, omitti debet. Atque pauca hæc remedia, variatis ſubinde formulis & doſibus, pro ætatis, virium aut morbi diverſitate, cum regimine tranquillo, temperato, evitando maxime calorem cubiculi & ſtragulorum lecti nimium, in curatione omnium febrium acutarum, tam benignarum quam malignarum, quin & ipſius peſtilentiæ præcipua ſunt, imo fere ſufficere poſſunt, ſi modo ægri ſudorem, qui ſubacta morbi materia ſponte oriri ſolet, patienter ferant, ut ſic eo ipſo recte eliminetur atque

 expel-

expellatur. *Si vero ſudor rite procedere recuſet*, ſubinde, præſertim matutino tempore, Eſſentia ſcordii, pimpinellæ albæ, helenii, carlinæ, angelicæ, cortic. aurant. Mixtura ſimplex, Tinct. bezoardica, aliave Eſſentia ſimilis diaphoretica aut alexipharmaca, ad guttas XX, vel XXX, cum infuſis calidis herbarum diaphoreticarum exhibeatur. *Neque febres acutæ exanthematicæ*, ut *variolæ*, *morbilli*, *petechialis*, *purpurata*, aliam medelam expoſcunt. *Vbi alvi obſtructio* in febribus his non exanthematicis affligit, clyſtere emollienti vel ſimpliciſſimo ſolvenda. In exanthematicis vero, præſertim in variolis, omnium eorum, quæ alvum irritant uſus, præcipue acriorum aut fortiorum, optimis plerisque practicis habetur ſuſpectus. Interea tamen haud pridem doctus quidam Anglus (a) peculiaribus ſcriptis purgantium uſum in variolis defendendum ſuſcepit, iure aut iniuria aliis atque experientiæ expediendum relinquo. *Diarrhoea in his morbis ſæpe affligens*, præſertim ſi non eſt nimis vehemens, nulla alia requirit remedia, quam ſupra iam laudata, ſi modo tranquillitas, & regimen fortius diaphoreticum accedat: ſudore enim bene procedente, alvi fluxus, continuatione illorum remediorum ut plurimum brevi remittit. Sin vero ſit fortior, hisque non auſcultet, modica portio corticis caſcarillæ, aut etiam lene anodynum iis admiſceatur.

XXIV.

Epilepſiæ cura.

In Epilepſiæ curatione reſpiciendum ad cauſſas. Si enim a *vermibus*, ſicut Dn. Præſes talem iuvenem aliquan-

(a) vid. Io. Friend de purgantibus in ſecundaria variolarum confluentium febre adhibendis 4. Londin. 1719.

quando curavit, anthelmintica epilepſiam tollunt: ut ſemen ſantonici, ſive in ſubſtantia vario modo, vel per ſe, vel cum myrrha rubra, ſive in eſſentia, infuſo &c. exhibeatur, rad. filicis, filipendulæ, flores tanaceti, centaurium minus, aliaque amara in infuſo vel cum vino vel cum cereviſia parato adhibita, quibus ſubinde blanda mercurialia, ut merc. dulcis, & decoctum merc. crudi in lacte vel aqua graminis, itemque purgantia congrua interponantur. *A dentitione* infantes & pueros epilepſia quidem corripi notum eſt; de adoleſcentibus & iuvenibus vero id nunquam vidi: ideoque de curatione huius etiam nihil dicam: ſicut nec de ea, quæ in lactantibus pueris *a meconio vel lacte corrupto* procedit. *Si a plethora* oriatur, ſanguis ſufficienti copia bis in anno, tempore æquinoctii, vel ſæpius, ubi plethora urget, præſertim e pedibus mittendus. Diæta parca & temperans obſervanda: motus corporis moderatus & frequens inſtituendus, medicamenta ſanguinis ebullitionem temperantia ſupra (XVIII) laudata, & cum cinnab. nativa, vel antimonii remixta, ex aquis temperantibus cephalicis ſæpe exhibenda: itemque ſpirit. vitrioli cephalicus, qui hic magni poteſt eſſe uſus. *Si a ſanguinis evacuationibus conſuetis*, præſertim etiam menſtruis obſtructis, itidem ſanguinis miſſio in pede, & ſimul ea uterina, quæ hunc fluxum reſtituunt, ſpecifica hic erunt antepileptica: id quod etiam *de hæmorrhoidibus obſtructis* eſt intelligendum; quo in caſu quoque hirudines inteſtino recto cum ſucceſſu applicantur. Si *a terrore vel ira*; animi tranquillitas, phlebotomia, diæta, blanda diaphoretica ac temperantia præcipua ſunt. Si *ante variolarum eruptionem* oriatur, his prodeun-

deuntibus, ſponte ceſſat. *Si a cauſa incognita*, præter generalia remedia, & diætam convenientem, *ſpecifica* ſunt adhibenda. Quem in finem commendantur ungula alcis, oſſa cranii humani, unicornu verum, viſcum quernum, rad. & ſem. pœoniæ, carbones tiliæ, ſem. lycopodii, lumbrici terreſtres præparati, pulv. epilept.Marchion.ſpecif.cephal.cor lupi,cor & hepar ranæ, ſpiritus C.C. ſanguinis humani, atque etiam poſt multos alios in Ephemeridibus ſuis a Gallis laudata radix valerianæ, a drachma I. ad II. aliquoties imo ſæpius, ex aq. hirund. cum caſtor. vel aq. epilept. Langii aliave idonea exhibita, aliaque. Interea tamen malum non raro inſanabile eſt, licet nonnulli talia ſpecifica ſe poſſidere glorientur, quæ quamcunque epilepſiam auferant; nam fruſtra ſæpe ea adhiberi obſervantur.

XXV.

Præſervatio morborum iuvenilium generalis.

Denique adhuc paucis *de præſervatione morborum iuvenilium* in univerſum agemus: licet iam ſupra de ſputi cruenti præſervatione (XXI) multa fuerint dicta. Hanc potiſſimum in legitima, & præcipue in *moderata diæta* conſiſtere exiſtimamus. Nam quia natura adoleſcentum & iuvenum ita eſt comparata, ut ob robur naturale, quo infantes, pueros, virilem ætatem & ſenes longe ſuperant, multosque labores & iniurias externas plerumque tolerare poſſunt, quos reliqui tam bene aut facile ferre nequeunt, ſicut Germani eleganter in proverbio dicunt, **die Jugend erträgt oder überſtehet vieles** / *iuventus multa perferre valet*: hinc ſane, ſi corpora ſua perverſo rerum non naturalium uſu,

ſicut

ſicut tamen ſæpiſſime fit, non corrumperent aut deſtruerent, non facile ægrotarent, multo minus prætmatura morte abriperentur; verum integra & illibata ſanitate plerumque ad vegetam ſenectutem pervenire, & morbos ætati iuvenili uſitatos a ſe ipſis facile avertere poſſent.

XXVI.

Attamen, licet diætam ſive rectum ſex ita dictarum rerum naturalium uſum iuvenibus commendemus, eamque ad conſervationem ſanitatis utilem, imo neceſſarium valde iudicemus: eo ipſo tamen nolumus, ut iuvenis ſanus, bene valens & robuſtus nimis ſtricta aut exquiſita ſe contineat diæta; verum, quia illi, qui mox in iuventute tali diætæ ſe adſtringunt, & vel ventum quemvis aſperum, vel auram frigidam, vel cibum quemcunque paullo duriorem nimis ſollicite devitant, poſtea hoc ipſo adeo imbecilles, & ad labores vitæ huius perferendos adeo ineptos ſe reddunt, ut poſtea ad utilia generi humano officia præſtanda inutiles fiant. Hinc potius, aurea præſtantiſſimi CELSI præcepta diætetica nobis placent, quæ omnibus promiſcue ſanis, maxime vero iuvenibus vegetis ſalutaria, imo utiliſſima eſſe cenſemus, & ob elegantiam gratamque venuſtatem huc transferimus, quando ſcribit (a): *Sanus homo, qui & bene valet & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus* (medicis) *debet, ac neque Medico neque iatroalipta egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus: modo ruri eſſe; modo in urbe, ſæpiusque in agro: navigare, venari,* Speciatim robuſtorum.

 quieſcere

(a) Lib. I. Cap. I.

quiescere interdum, sed frequenter se exercere. Siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat. Illa, maturam senectutem; hic, longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti; modo ungi, modo id ipsum negligere; nullum cibi genus fugere, quo populus utatur: interdum in convictu esse, interdum ab eo se subtrahere: modo plus justo, modo non amplius assumere: bis die potius, quamsemel cibum capere, & semper quam plurimum, dum modo hunc concoquat. Hæc firmis servanda sunt: cavendumque, ne in secunda valetudine adversæ præsidia consumantur.

XXVII.

Imbecillorum.

At imbecillis (quo in numero, teste *CELSO,* (a) *magna pars urbanorum, omnesque pene cupidi literarum sunt) diætæ observatio maior necessaria est: ut, quod vel corporis, vel loci, vel studii ratio detrahit, cura restituat.* Hi enim aëre, quantum fieri potest, vivere debent temperato atque sereno, & *habitare ædificio lucido, perflatum æstivum, hibernum solem habente: cavere meridianum solem, matutinum & vespertinum frigus, itemque auras fluminum, atque stagnorum, minimeque nubilo cælo, soli aperienti, se committere: ne modo frigus, modo calor moveat, quæ res maxime gravedines, destillationesque concitat. Vbi ad cibum ventum est, NVNQVAM VTILIS EST NIMIA SATIETAS: sæpe inutilis nimia abstinentia, tutiorque est intemperantia in potione, quam in esca. Condita duabas de caussis inutilia sunt: quoniam & plus propter dulcedinem assumitur, & ægrius concoquitur.*

Post

(a) Lib. I. cap. II.

Post multas potiones, quæ aliquantum sitim excesserunt, nihil edendum est. Ratione motus, exercitatio semper antecedere cibum debet, post satietatem vero nihil agendum. Exercitatio vero melior est sub divo, quam in porticu, eiusque finis plerumque esse debet sudor, aut certe lassitudo, quæ citra fatigationem sit: idque ipsum modo minus, modo magis faciendum est. Si lucubrandum est, non post cibum id facere, sed post concoctionem oportet, neque somnum certis, eisque paucis horis constringere, nimiumque vigilare, & studiis incumbere, verum sufficienter ad virium usque refectionem dormire: curam quoque gerere, ut excreta & retenta rite succedant, & uti in his omnibus, ita & in *animi affectibus* auream servare mediocritatem.

XXVIII.

Denique etiam speciatim de iis, *quæ ad præservationem eorum morborum iuvenilium, de quibus hac in dissertatione egimus*, faciunt, hic nobis agendum esset, ut ii, qui his morbis obnoxii, illos tanto melius a se avertere possint. Verum iam supra (XXI) abunde egimus de præservatione hæmoptysis, &, quomodo illi, *qui ad hanc proni*, vel eam iam perpessi, se gerere, quid agere, quidque vitare debeant, docuimus, ita, ut illud hic repetere non sit necesse. *Ii, qui ad tabem* sive *phthisin inclinant*, vel iam incipiente laborant, eadem, quæ hæmoptoicis (XXI) commendavimus, eaque adhuc maiori cura observent. Quæ enim ad hæmoptysin, ea etiam ad hanc præcavendam optime valent. Inprimis vero infusis ex herbis pectoralibus, itemque medicamentis trau- Præservatio morborum.

 mati-

maticis & balſamicis temperatis, quæ incuratione phthiſeos laudata ſunt, prudenter utantur, & miſſiones ſanguinis, præſcriptumque vitæ regimen non negligant. *Equitatio* frequens hicquoque valde utilis. Purgantia vero acria, balſamica fortiora, adſtringentia, acidulæ, acida, aromatica, aliaque acriora & opiata nocent. *Qui ad febres acutas proclives*, miſſiones ſanguinis haud prætermittant, & idem regimen, eandemque, quæ hæmoptoicis ſervanda, ſervent diætam. *Epilepticos* vero iuvenes, *ſi a plethora* morbus ortum trahat, eodem quoque modo, quo hæmoptoici, ſe gerere oportet, ſicut (XXI) indicavimus, ſuppreſſæque conſuetæ evacuationes ſanguinis, ſi quæ forte ſint, reſtituendæ, & ut legitima diæta in ordine ſervetur, opera danda eſt. *Si ab animi affectibus* orta, animi tranquillitas curæ cordique ſit. *Si a vermibus, anthelmintica & purgantia ſubinde repetenda, atque voracitas, præſertim eorum, quæ difficulter digeruntur, magno ſtudio vitanda.* Uſus vero vini generoſi moderatus ventriculum inteſtinaque roborat, digeſtionem promovet, pituitam, tanquam nidum vermium, deſtruit, atque ſic ad hanc epilepſiam præcavendam multum confert. *Si malum a cauſſa quadam incognita*, ea agenda, quæ in curatione docuimus: hacque ratione, morbos hos iuvenum optime præcaveri, curarique poſſe arbitramur.